

Parvus Nicolaus *Der kleine Nick*

Acht prima Geschichten
vom ›Asterix‹-Autor GOSCINNY

Lateinisch von Nikolaus Groß,
getreu der deutschen Übersetzung
von Hans Georg Lenzen

Mit vielen Zeichnungen
von SEMPÉ



Diogenes

Die Geschichten sind dem 2004
bei IMAV éditions, Paris, erschienenen Band
›Histoires inédites du Petit Nicolas‹ entnommen
Copyright © IMAV éditions 2004
Der kleine Nick, seine Freunde und sämtliche
anderen in den Geschichten dieses Bandes
vorkommenden Figuren wie auch die Geschichten selbst
und die Charakteristika von Nicks Welt sind eine
Schöpfung von René Goscinny und Jean-Jacques Sempé
Copyright © Goscinny/Sempé
Alle Rechte (einschließlich der Marke)
bei IMAV éditions, Paris

Alle Rechte an dieser
Übertragung ins Lateinische vorbehalten
Copyright © 2014
Diogenes Verlag AG Zürich
Alle deutschen Rechte vorbehalten
Copyright © 2005, 2014
Diogenes Verlag AG Zürich
www.diogenes.ch
60/14/8/1
ISBN 978 3 257 01169 2

Summarium / Inhalt

Parvus Nicolaus

- Ferias scholares exire 11
Invincibiles 18
Popina scholaris 24
Facta iuventutis oblivione indelebilia 32
Georgius quomodo habitet 40
Excusationes 47
Ab anno 1611 usque ad annum 1673 56
Lepusculus 62

- Vocabula rara et recentiora (Wortverzeichnis)* 69
in den einzelnen Geschichten jeweils bei der ersten
Nennung *kursiv* gesetzt

Der kleine Nick

- Die Schule fängt wieder an 79
Die Unbesiegbaren 86
Die Kantine 92
Unvergessliche Jugenderinnerungen 100
Georgs Zuhause 108
Entschuldigungen 115
1611 bis 1673 124
Das Häschen 130



Parvus Nicolaus · Nick

»Bellissime!«

»Prima!«



Otto · Otto

»Hic est amicus meus optimus.
Qui est crassus semperque
comedit.«


»Das ist mein bester Freund,
er ist dick und muss
immer essen.«



Franciscus · Franz

»Hic est robustus semperque
vult amicis colaphos ducere.«

»Der ist sehr stark und
will seinen Freunden ständig
mit der Faust auf die Nase
hauen.«



Adalbertus · Adalbert

»Hic est discipulus classis optimus
magistraeque nostrae dilectissimus –
nos eum minus diligimus.«

»Er ist Klassenbester und
der Liebling von unserer Lehrerin –
wir mögen ihn nicht besonders.«



Georgius · Georg

»Eius pater praedives est
eique emit omnia.«

»Sein Vater ist sehr reich
und kauft ihm alles.«



Maria Hedvigis · Marie-Hedwig

»Haec est valde venusta. Puto nos
postea connubio coniunctum iri.«

»Sie ist sehr nett und ich glaube,
später werden wir heiraten.«



Ioachimus · Joachim

»Hic libenter ludit globulis. Ut verum
confitear: hic perbene ludit, et si accurate
collineat – tuxtax – fere semper
ferit destinatum.«

»Der spielt gern mit Murmeln.
Man muss zugeben, er spielt schon gut,
und wenn er genau zielt – bing –
trifft er fast immer.«



Rolandus · Roland

»Eius pater est astyphylax et habet fistulam vibratilem.«

»Sein Vater ist Polizist und er hat eine Trillerpfeife.«



Chlodovechus · Chlodwig

»Cum sit discipulus classis nostrae omnium pessimus, saepe magistrae bilem movet, ut sibi scribenda sint pensa poenalia.«

»Chlodwig, das ist der Schlechteste der Klasse. Wenn die Lehrerin ihn was fragt, muss er hinterher in der Pause dableiben.«



Mamma · Mama

»Si pluit et si visitamur, libenter domi maneo, quia Mamma semper furno coquit placentas et crustula bellissima.«

»Bei Regen und wenn Besuch kommt, bleibe ich gern zu Hause, nämlich weil Mama dann immer tolle Kuchen und Plätzchen backt.«



Atta · Papa

»Atta serius e grapheo venit quam ego venio e schola – at ei non facienda sunt pensa domestica.«


»Er kommt später aus dem Büro als ich aus der Schule, aber er hat keine Hausaufgaben.«



Magistra nostra · Unsere Lehrerin

»Haec est bella et percomis, nisi nos nimium desipimus.«

»Sie ist hübsch und so nett, wenn wir nicht zu viel Quatsch machen.«



Bulligo · Der Hühnerbrü

»Hic est custos noster, quem vocamus Bulliginem, quia semper dicit: ›Inspicite oculos meos!‹ Et in bulligine, scilicet in iure carniurn, ibi insunt oculi.«

»Das ist unsere Aufsicht und wir nennen ihn Hühnerbrü, denn er sagt immer: ›Seht mir in die Augen!‹ Und in der Hühnerbrü, da sind doch Augen.«

Parvus Nicolaus



Ferias scholares exire

Mamma dixit nos cras empturos esse res ad scholam inchoandam necessarias.

»Quasnam res?«, *atta* interrogavit.

»Multas«, *mamma* respondit, »cum ceteras tum has: *peram scholarem, thecam graphiarum* – necnon calceos.«

»Iterum iterumque calceos?«, *atta* vocavit. »Incredibile auditu! Num iste calceos comedit?«

»Non«, *mamma* inquit, »calceos, sed *sorbitionem*, ut crescat et corroboretur; et si crescit ipse, crescunt pedes quoque eius.«

Postridie cum *mamma* emptum ambulavi. Calceorum causa aliquantum inter nos rixati sumus: equidem volebam *calceos gymnicos*, sed *mamma* dicebat se mihi empturam esse solidos calceos coriaceos; hoc si mihi displiceret, nos redituros esse domum; at fore, ut hoc displiceret *attae*.

Venditor tabernae calceariae erat valde comis; qui mihi dabat multos calceos probandos necnon *mammae* affirmabat omnes calceos esse excellentes, tamen *mamma* parum certa erat, quosnam emeret. Cum ei par quoddam calceorum fusci coloris placeret, ex me quaesivit, num mihi commodi essent; ego, ne venditori ultra modum laborandum esset, dixi illos esse commodos, sed revera isti calcei pedes meos aliquatenus *urebant*.

Deinde autem *mamma* mihi emit *peram scholarem* perquam mirabilem. Peris semper multum delectamur: Quas condiscipulorum pedibus intericere solemus, ut iidem *supplantentur*. Equi-

dem animo suspenso omnes condiscipulos meos exspecto revivendos. Tum mamma mihi emit thecam graphiarum, quae est forma *capistri pistolarii*, sed loco *pistolii* illi inest *cuspidamentum*, quod est forma *aeroplani*, et *cummem deletilem*, qui est forma muris, et graphium, quod forma est tibiae, necnon multas *reculas*, quae forma cuiuscumque rei alterius et quibus adhibitis in *conclavi scholari* fieri possunt nugulae quotlibet iucundissimae.

Vespere cum vidisset omnes illas res, quas mamma mihi emerat, attā dixit se sperare me rebus meis usurum esse caute atque parce, et ego dixi »scilicet«. Quamquam convenit me res meas tractare quam cautissime, tamen cuspidamentum defecit iam ante cenam, quia conatus eram *bombas* deicere in murem ita, ut attā irasceret. Qui dixit, cum e reditu nostro essem intolerabilis, tempus esse maximum, ut denuo scholam frequentarem.

Diu enim antea iam ex itinere revertimus, tamen nonnullis demum diebus post institutio scholaris denuo incohabitatur. Iter fuit valde iucundum, plurimum sumus delectati.

Ad mare fuimus, ubi fecimus res perquam mirabiles. Ego natavi in mare altissimum et deinde certamen superavi litorale: Accepi enim duos *libellos nubeculatos* et *vexillulum*. Necnon sole ita *coloratus* sum, ut aspectu essem perquam mirabili.




Cum domum redissemus, scilicet vellem amicis monstrare, quantum cutis mea esset colorata. At eo feriae sunt iniucundae, quod absunt omnes amici. *Otto* – is est puer, qui habitat proxime ab habitaculo nostro necnon est amicus mihi omnium optimus – crassus ille, qui comedere numquam desinit – Otto non adfuit. Is quotannis cum parentibus suis vehitur ad avunculum suum, qui



est lanus *Bavariensis*. Otto semper vehitur feriis exeuntibus, nam ei ad avunculum vecturo primo exspectandum est, dum avunculus reveniat ex itinere ad mare mediterraneum facto.

Dominus Campanus, qui est victualium venditor in tribu nostra versans, me aspecto dixit colorem cutis meae *libi melliti* esse pulchriorem. His dictis mihi dedit uvas passas necnon olivam (sed haec non sunt tam iucunda quam amici praesentes).



Hoc autem est iniustum! Nam si nemo videt, quam bene coloratus sis, operae pretium non est colorari. Subito *stomachus* mihi motus est gravissimus. Atta autem dixit se non permisurum esse, ut hoc quoque anno me gererem tam intolerabiliter quam annis praeteritis, antequam tandem redirem ad scholam.

At ego dixi: »Antequam ad scholam redibo, cutis mea denuo palluerit.«

»Istud quidem est insanissimum!«, atta vocavit. »Ex itinere

reversus iste de nihilo cogitat nisi de *coloratione* solari! Audi, *Nicolae*, *scin'* quid facias: I in hortum et *apricare*. Si hoc facies, saltem desines me molestare, et schola ineunte eris tam coloratus quam ipse Tarzanus.»

Itaque in hortum ii, sed ibi talis fieri non potest *apricatio* qualis in litore, praesertim cum obstant nubes. Mamma autem est vociferata: »Heus *Nicolae*, quid iaces in graminibus? Nonne vides pluviam esse casuram?»

Mamma dixit: »Vae mihi, iste puer me adigit ad insaniam!«, equidem domum redii. Atta, qui modo *ephemeridem* legebat, me aspectans dixit me perquam belle coloratum esse, sed capillos ut siccarem oportere – nam prorsus eram madidus.

»Hoc omnino non est verum!«, vocavi. »Non iam sum coloratus! Volo redire ad litus!«



»*Nicolae!*«, *atta* clamavit. »Velim respicias neve stulte blateres! Alioquin cubitum ibis cena omissa, intellegisne?»

Tum coepi flere; dixi hoc esse iniustum, me domo abiturum esse, solum mare petiturum esse, me malle mori quam esse palli-



dum. Mamma autem ex coquina cucurrit et dixit se taedere cottidianae clamitationis, si ex itinere feriarum nil melius efficeretur nisi istaec calamitas, se malle anno proximo remanere domi. Ego attaque autem ut videremus, quomodo degeremus ferias nostras, quia ipsa libenter iis renuntiaret.

Atta respondit: »At tu utique voluisti nos hoc anno iterum vehi in insulam Norderney. Quacumque ratione non meo vitio fit, ut filius tuus morosissimus domi versans se gerat tam intolerabiliter.«

»Atta«, inquam, »mihi dixit me in horto si apricatus essem, tam coloratum iri quam Tarzanum. At ne pauxillulum quidem coloratus sum!«

Tum mamma subridens dixit me sibi videri adhuc valde coloratum meque esse coloratum suum Tarzanum seque certo scire me in schola fore omnium coloratissimum. Deinde eadem dixit, ut in conclave meum ascenderem et luderem, se cena parata me esse advocaturam.

Cenans conabar cum atta nullum verbum facere, sed ille cum os iocose distortere non desineret, non potui, quin riderem, et hoc mihi placuit. Mamma autem *furno coxit placentam malinam*.

Postridie Dominus Campanus nobis dixit se opinari Kortschildianos hodie ex itinere feriarum domum reversuros esse. Kortschildiani autem sunt vicini nostri, qui habitant proxime a nobis, iisdem est filia, quae vocatur Maria *Hedvigis*. Quae est eadem aetate ac ego, capillis flavis, oculis caeruleis – *babae*, quam pulchra est!

Subiratus sum, nam optaveram, ut Maria Hedvigis me spectaret vere coloratum. At istius rei nihil dixi attae, qui minatus esset me, si denuo locutus essem de coloratione solari, vituperationem subiturum esse vehementissimam.

Sol autem cum splendere denuo inciperet, in gramina recubui; interdum currebam in conclave balneare, ut in speculo viderem, num quatenus essem coloratior, et cogitabam »bene, iterum conabor in horto colorari, et deinde si pallidus remansero, hoc dicam attae«.

Cum autem maxime rediturus eram in hortum, ante domum iuxta sitam constitit *autocinetum* Kortschildianum, cuius tecto impositae erant sarcinae permultae.

Deinde Maria Hedvigis ex autocineto descendit, quae mihi aspecto annutavit. Tum ego prorsus erubui.





Invincibiles

Catervam condidimus. *Georgius* autem hoc faciendi consilium conceperat. Qui in pausa nobis narraverat se librum legisse, in quo amici *catervam* conderent et facerent res mirabiles, bonos homines contra malos defenderent, sceleratos caperent, necnon plurimum delectarentur.

»Nostra caterva«, *Georgius* inquit, »vocatur ›*Invincibiles*‹, sicut caterva in illo libro descripta. Schola finita inter nos conveniemus in vacua *area aedificiali*. *Signum* autem erit ›*Animus in-exsuperabilis*‹.«

Cum ad vacuum aream aedificialem advenissem, *Georgius*, *Rolandus*, *Franciscus*, *Otto*, *Ioachimus* iam adfuerunt. Adveni paululum retardatus, nam magistra me retinuerat, quia non recte solveram *problema* quoddam *arithmeticum* – hoc dicam *attae*, ut *pensa mea domestica* faciens melius attendat.

»*Signum* quid est?«, *Otto* ex me quaesivit faciei meae *miculas paniceas* inflans (*Otto* enim comedere numquam desinit).

»*Animus in-exsuperabilis*«, respondi. »Licet intrare«, dixit ille.

Area aedificialis cum sit mirabilis, eam saepe petimus *lusuri*. Ibi sunt *gramina* et *cattae* et *pyxides conservatrices* et *canthi* autocinetorum *pneumatici* vetusque *autocinetum* rotarum *expers*, quo cum ludimus plurimum delectamur *fremitem motri* imitantes *sonorissimum*.

»Inter nos conveniamus in autocineto«, *Georgius* dixerat. De *Georgio* non potui quin riderem: qui *larvam e pera scholari* ex-



emptam faciei suae imposuit et induit nigrum *anaboladium* littera Z signatum necnon *petasum*; pater enim Georgii cum sit praedives, filio suo solet emere nova *crepundia* novaque vestimenta, quibus habitum suum permutet.

»Heus Georgi«, inquam, »aspectum habes ridiculum.« Quod illi non ita placuit.

»Nos«, inquit, »sumus caterva secreta. Ego quia sum dux, oportet nemo videat faciem meam!«

»Duxne?«, Franciscus interrogavit. »Videris iocari! Num tu es dux, quia petaso ridiculo indutus similis es fungo?«

»Nequaquam, mi care«, Georgius inquit, »sed quia consilium cepi catervae condendae, hac de causa.«

Tum autem venit *Chlodovechus*. Qui solet paululo retardari. Cum sit discipulus classis nostrae omnium pessimus, saepe magistrae bilem movet, ut sibi scribenda sint *pensa poenalia*.

»Signum quid est?«, Otto ex illo quaesivit. »Animus ingens«, respondit Chlodovechus.

»Non est«, Otto inquit. »Non licet tibi intrare, hoc non est signum.«

»Quid iam, quid iam?«, Chlodovechus dixit. »Fac me sinas intrare, *semicupa*!«

»Non sino«, Georgius inquit, »mi amicule, intrare tibi non licet nisi noveris signum. Age, Otto, tu istum custodias!«

»Equidem«, Franciscus inquit, »commendo, ut dux numerando eligatur: »*Bene, bene, audias, facias ut abeas...*«

»Nequaquam«, Georgius inquit. »In libro dux est vir fortissimus et optima armatura instructus. Dux sum ego!«

Ehem, tum Franciscus Georgii naso pugnum impegit, quod solet facere Franciscus. Quo facto Georgius humi consedit, larva per faciem transversa, manibus naso praepositis.





»Haec«, Georgius inquit, »cum ita sint, tu non iam particeps es catervae!«

»Vah«, Franciscus inquit, »si ita est, domum ibo et ludam *ferri-
rivia* mea *electrica*!«

»Num est >Animus terribilis?«, Chlodovechus dixit, sed Otto iterum dixit non, hoc quoque cum signum non esset, illi etiam non permitti, ut intraret.



»Bene«, Georgius inquit, »decernendum nobis est, quid faciamus. In libro illo *Invincibiles aeroplanum* sumunt et volant in *Americam* et quaerunt avunculum infantuli orbatu, qui a viris sceleratis hereditate fraudatur...«

»In *Americam* aeroplano volare mihi non licet«, Ioachimus dixit. »*Mamma* enim e brevi demum tempore mihi permittit, ut solus transeam viam.«

Tum Georgius evocavit: »Nos non patimur *Invincibilium* participes esse pueros *ignavos*!«

At Ioachimus – hic fuit mirabilis – dixit sibi hoc satis esse, se sic quoque esse fortissimum, at res si ita ageretur, se abiturum esse, sed fore, ut nos istius rei paeniteret! Et abiit.

»Mirabilisne animus?«, Chlodovechus interrogavit. »Non est!«, Otto respondit *panicello socolata* illito dentes imprimens.

»Ut omnes inscendant in autocinetum!«, Georgius vocavit. »Agamus de consiliis nostris secretis.« Hoc mihi perplacuit. Libenter enim insum veteri autocineto, quamquam saepius allidor *elateribus*, qui ita e sedibus eminent ut elateres illi stibadio veteri impositi; quod infuit *mediano* conclavi nostro, sed nunc stat in *granario*, quia *mamma* dixit istud stibadium esse quodammodo maculam mansionis infamem, ut *atta* emeret stibadium novum.

»Libenter«, Rolandus inquit, »ibo in autocinetum, sed oportet ipse ad *rotam moderatricem* sedens gubernem.«

»Non, ad *rotam moderatricem* sedet dux.«

»At tu«, Rolandus inquit, »non magis dux es quam ego. Nec fallitur *Nicolaus*: Habitus tuus permutatus est ridiculus.«


»Tu mihi invides – invides, nil aliud!«, Georgius vociferatus est.

»Ah, si ita est«, Rolandus inquit, »condam novam catervam secretam, ut destruam tuam catervam secretam. Deinde nosmet ipsi vehemur in Americam propter illum infantulum orbatum.«

»Nequaquam!«, Georgius clamavit. »Hic est noster infantulus orbatus, non vester – vos quaeratis alium, revera!«

»Hoc videbimus«, Rolandus dixit domumque iit.


»Inexsuperabilis!«, Chlodovechus vocavit. »En signum inveni! Inexsuperabilis!«



»Exspecta paulisper«, Otto inquit, »siste...« Otto autem ad nos transiit. »Quidnam fuit signum?«

»Quid«, Georgius vocavit, »non iam recordaris signum?«

»Heu mihi«, Otto inquit, »cum Chlodovechus iste *baburrus* iterum iterumque attulerit verba nova, quomodo fieri potest, ut recorder signum verum?«



Georgius autem ira incensus est vehementissima. »Vos quidem«, inquit, »sane estis bellula caterva Invincibilium. Revera estis Inutiles!«

»In... – quid?«, Otto interrogavit.

Chlodovechus ad nos transiit. Qui interrogavit: »Quid nunc, licetne intrare an non?«

Georgius autem petasum humum deiecit.

»Tibi non licet intrare, quia non dixisti signum! Caterva secreta oportet habeat signum, sicut legitur in illo libro. Isti autem, qui sint signi expertes, sunt *speculatores!*«

»At ego«, Otto respondit, »putasne me nil facere velle nisi hic stare et auscultare Chlodovechi verba stultissima? Praeterea nil mihi restat comedendum. Domum mihi eundum est, ut sumam in tempore *merendam.*« Et Otto abiit.

»Non egeo permissione tua«, Chlodovechus dixit Georgio. »Haec area aedificialis non est tua! Quam intrare licet cuicumque, etiam speculatoribus!«

»Nunc satis est! Si res ita agitur, intrare licet omnibus!«, Georgius vociferatus sub larva flevit. »Vos nescitis recte ludere! Equidem condam catervam Invincibilium propriam. Ne quid ultra!«

Soli remansimus Chlodovechus et ego. Equidem illi dixi signum quid esset, ne maneret speculator et ut nos una *certatim* luderemus *globulis* iaciendis. Bellule conceperat Georgius consilium catervae condendae. Nam victoria parta accepi tres globulos.

